Caesar

Quaestiones duae ad Aristophanis Aves spectantes

INDICES
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM

INDE A D. XX. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI
MDCCCLXXXI

HABENDAE PROPONUNTUR.

Quaestiones duas ad Aristophanis Aves spectantes praemisit *Iulius Caesar*.

MARBURGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

De Aristophanis consilio, quo Aves fabulam composuerit, cum tot et tam diversae exstent sententiae, vix novi aliquid aut quod omnium assensum sit laturum, proponi poterit, ita ut ei qui hoc argumentum attingat, ne supervacaneam rem suscipiat et taedium lectoribus harum rerum non ignaris afferat metuendum sit. Attamen etiam singulos huius fabulae locos explicaturo certa quadam ratione, qua in diiudicandis antiquae comoediae argumentis atque personis utatur, opus est. Itaque statim profitendum est, nos neque ab eorum partibus stare, qui nihil nisi hominis iocularis scurrilitatem risusque excitandi artificia in Aristophanis dramatis agnoscant, neque eis accedere, qui certas vitae publicae normas allegoricis imaginibus involutas singulis fabulis data opera describi et a principio usque ad finem constanter sustineri statuant. Et quod ad Avium argumentum attinet, constat duos cives Athenienses a poeta comico ob oculos poni, qui molestiarum et periculorum vitae domesticae obsaturati novam sedem istis perturbationibus vacantem anquirunt, atque eam in domicilio vitaque avium reperire sibi videntur, quam correctam et emendatam ipsis avibus ea spe proposita probabilem reddunt, ut satis munita urbe in avium sedibus inter terram et coelum condita Iovem cum diis summo rerum imperio demovendum, atque mundi dominationem in aves optimo iure eam sibi vindicantes earumque rectorem atque patronum ipsum istius inventi auctorem

Pithetaerum Atheniensem deferendam esse demonstrent. Quod quibus artibus hilarium facetiarum seriarumque cavillationum plenissimis a poeta ad finem perducatur, nunc persequi non est in animo, quanquam vel in his rebus explicandis et ad poetae consilium exigendis eximia interpretum est dissensio. Sed ad ipsum actionis dramaticae exitum, de quo nonnulla dicenda nobis videntur, hoc sententiarum discrimen pertinet. De quo alii ita iudicant, ut inde poetae mentem, quam ex argumenti tractandi ratione apparere voluerit, cognosci primariamque fabulae personam ipsius quasi partes agere statuant, alii ironiam principem per totam fabulam locum tenere, atque rei quae agitur perversitatem ex ipso actionis progressu elucere censent, quanquam persona primaria ad eam agnoscendam non adducatur. Et ironiam quidem irrisionemque in antiqua comoedia Attica imprimis regnare consentaneum est, et vel hanc ob causam maximopere a poetae mente aberrare videntur, qui quid populo Atheniensi faciendum sit, actione comica quasi demonstrari rati, Aristophanem aut cum Carolo Kock pietatem antiquam religionesque patrias hac fabula subvertere conatum esse, aut cum Hermanno Koechly imperium quoddam ecclesiasticum diruendum atque religionem externam reipublicae submittendam esse suadere sumant. Attamen istam irrisionem neque ita accipiendam esse statuimus, ut quae singulae personae agant omnia ad certas Atheniensium rationes referantur — qua in re vel Conradum Bursian, cuius moderato et subtili iudicio in plerisque assentimur, ultra iustos fines procedere censemus —, neque ita ut per totam actionem contraria eis, quae in scena fiunt tanquam recta et laudabilia commendari videantur. Fabula enim comica suum habet progressum atque exitum, qui non omni ex parte pendet a poetae de rebus publicis iudicio et ab universo consilio, quo hominum perversitatem ostendit et castigat. Sic in Equitibus Cleonem quidem summa severitate usus ut civem prae ceteris perniciosum reipublicae depingit, atque eius adversarios seria assensione adiuvat, sed quod hominem infima de plebe, isiciarium, etiam maiore animi morumque humilitate instructum illius domitorem et reipublicae instauratorem fingit, id non ad verum consilium, quo fabulam composuit, sed ad actionem comicam est referendum. Neque magis in Avium fabula explicanda verum poetae consilium proponere videntur, qui sceptro Iovi erepto et ad novam Avium rempublicam delato atque summo mundi imperio cum principe in ista republica viro arctissime coniuncto aut quid expetendum sit Atheniensibus aut quid metuendum ea quam ingressi essent via procedentibus, summam scilicet potestatem in unum transituram, demonstrari censeant. Sed eximia hilaritate et festivitate mixta cum irrisionis

licentia, quibus haec inter ceteras fabulas splendet, usus poeta comicam actionem quam finxit partim seriam partim ironiae plenam, ad eum finem perducit, quae ex eius natura ipsa prodit, ita ut spectatores ludi delectatione rapti et elati neque de consilio ipsis dato neque de periculo e rebus divinis tanta licentia profanatis religioni imminente cogitare possent.

Sed iam ad id transeundum est, cuius causa haec praemittenda erant. Exitus igitur fabulae hic est: Prometheo auctore Pithetaerus ut sceptrum Iovis Avibus reddatur, sibi ipsi autem *Βασίλεια* in matrimonium detur postulat hasque pacis condiciones obtinet. Quaenam autem est *ἡ Βασίλεια*? Hoc interroganti Pithetaero Prometheus respondet (vs. 1537 sqq. D.): *καλλίστη κόρη, | ἥπερ ταμιεύει τὸν κεραυνὸν τοῦ Διὸς | καὶ τἄλλ' ἁπαξάπαντα, τὴν εὐβουλίαν, | τὴν εὐνομίαν, τὴν σωφροσύνην, τὰ νεώρια, | τὴν λοιδορίαν**), *τὸν κωλακρέτην, τὰ τριώβολα.* Quam virginem divinam cum plerique cum vetere interprete (schol. ad v. 1536: *σωματοποιεῖ τὴν βασιλείαν αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡς γυναῖκα*) pro persona dominationem regiam significante habuerint, nuper Hermannus Mueller-Struebing (Jahrb. f. Philol. vol. CXXI. pag. 104 sqq.) interpretes verum non videre vel nolle videre vociferatus summam Atheniensium deam aperte denotatam esse verbis *ἥπερ ταμιεύει τὸν κεραυνόν* confidenter pronuntiat, quae verba fieri non posse quin propter Aeschylum Eumen. 827 D. (*καὶ κλῇδας οἶδα δώματος μόνη θεῶν, | ἐν ᾧ κεραυνός ἐστιν ἐσφραγισμένος*) a quovis homine Atheniensi ad Minervam solam relata sint**). Eandem sententiam eodem Eumenidum loco adhibito dudum proposuerat et accurata doctaque disputatione fulserat Fridericus Wieseler, cuius Herm. Mueller mentionem non facit, in adversariis in Aeschyli Prometheum vinctum et Aristophanis Aves Gottingae a. MDCCCXLIII editis pag. 124—132. Sed argumentis ab utroque prolatis non eo adducti sumus, ut Aristophanem ipsam Minervam Athenarum patronam significare voluisse crederemus. Et primum

---

*) In hoc verbo non temere nonnulli interpretes offenderunt, quanquam *ἀμβροσίαν* a Theodoro Kock acute excogitatum neque huic loco aptum esse neque e scholio *ἀθανασίαν* ad Basileam referente recte sumi videtur. Et cum ne illud quidem bene dictum sit, istam virginem *ταμιεύειν τὸν κωλακρέτην*, atque exspectemus aliquid significari quod ad colacretarum aerarium et accepta expensaque referendum sit, quaeritur, an et *λοιδορίαν* mutandum et pro *κωλακρέτην* genitivus ponendus sit.

**) Ipsa verba viri cum acumine tum insolenti dicendi genere insignis in medium proferenda sunt: *durch jenes wort also 'sie verwahrt den blitz des Zeus' ist Basileia für jeden Athener unwiderruflich, wie durch einen hammerschlag, mit Pallas Athena identificiert. will man nun sagen, dem sei wol so . . . , aber Aristophanes habe das nicht beabsichtigt, so erklärt man ihn dadurch für den grössten dummkopf, der je existiert hat . . .* Minus confidenter propter eam ipsam impietatem, quod Pithetaerum summam Atheniensium deam in matrimonium ducere finxerit, iudices Aristophani primas in hoc certamine non dedisse indicat.

quidem Basiliam e poetae sententia dominationem esse in personae divinae formam redactam, neque vero unam ex ipsa Olympiorum familia, quae principem in Atheniensium religione locum tenuerit, inde elucere videtur, quod Pithetaerum Avium ducem et fere tyrannum idem expetere consentaneum est, quod Aves suo iure vindicare sibi debere docuerat vs. 477 sq.: *οὔκουν δῆτ᾽, εἰ πρότεροι μὲν γῆς, πρότεροι δὲ θεῶν ἐγένοντο, | ὡς πρεσβυτάτων αὐτῶν ὄντων ὀρθῶς ἔσθ᾽ ἡ βασιλεία:* quare statim suam esse *τὴν βασιλείαν* agnoscunt vs. 549. Et omnino non differre Basiliam a tyrannide vel ex eo apparet, quod ubi de hoc matrimonio tanquam altera pacis condicione, seiuncta illa a sceptri ad Aves transitu, agitur, Neptunus Herculem admonet, ne tyrannidem a Iove illis tradi sinat (vs. 1643 *παραδοὺς τούτοισι τὴν τυραννίδα*); quod si fiat, Iove mortuo Herculem pauperem fore, cui praeterea universa Iovis res familiaris obtingat. Cum ipsa igitur dominatione Iovis opes in Aves novos deos eorumque moderatorem dicit transituras esse, id quod minime quadrat, ut Wieselero videtur, ad eam rationem, qua paullo post v. 1653 Pithetaerus Athenam filiam heredem Iovis appellat, siquidem Basilia pro eadem Athena habenda est, quippe quae Iove demum mortuo eius patrimonium aditura sit. Itaque nisi confusionem diversarum rerum poetae comico tribuere velimus, quae si admitti posset, certe spectatoribus minime eam sententiam, quam ab eis statim intellegi illi interpretes volunt, explanaret, hanc Minervae a Basilia distinctionem ipso nomine factam omnino obstare eorum interpretationi contendimus. Neque nos movet Euphronii grammatici auctoritas, siquidem ad eum non solum ea pars scholii ad v. 1536 pertinet, qua Basiliam Iovis filiam appellasse dicitur, sed etiam ea verba, quibus huic ipsi ea quae ad *ἀθανασίαν* spectent administranda tribuuntur, similiter ut apud Bacchylidem Minervae Tydeo *τὴν ἀθανασίαν* oblaturae. (Schol. ad v. 1536: *Εὐφρόνιος ὅτι Διὸς θυγάτηρ ἡ Βασίλεια· καὶ δοκεῖ τὸ κατὰ τὴν ἀθανασίαν αὐτῇ* [legendum videtur aut *αὐτῷ* aut *αὐτή*, cum *οἰκονομεῖν* ad Basiliam sit referendum] *οἰκονομεῖν, ἣν ἔχει καὶ παρὰ Βακχυλίδῃ ἡ Ἀθηνᾶ τῷ Τυδεῖ δώσουσα τὴν ἀθανασίαν.*) Quanquam ne id quidem ex his verbis certo colligitur, grammaticum Basiliam pro ipsa Minerva habuisse, id quod e Bacchylidei loci comparatione non consequitur. Ab Aristophanis autem more abhorrere tale inventum allegoricum nemo dixerit, qui Populi et Belli et Tumultus in eius fabulis personatorum aliorumque exemplorum huius usus veteris comoediae meminerit, inter quae ipsa Basilia est, quam scholiasta teste etiam Cratinus in scenam produxerat. Atque aptam fuisse ad ea quae poeta significare voluit prae ceteris personatam dominationem regiam translatam ex ipso Olympo in

novorum deorum regnum simulque secundum hominum rationes descriptam, vel Aristotelis verbis demonstrari poterit Polit. III, 14 extr. Bk.: *ὥσπερ γὰρ ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις οἰκίας ἐστίν, οὕτως ἡ βασιλεία πόλεως καὶ ἔθνους ἑνὸς ἢ πλειόνων οἰκονομία.*

At nonne tota haec disputatio Aristophanisque interpretatio uno argumento subvertitur, quo quidem nemo hucusque usus est? Scilicet syllabae ultimae mensura accentusque verbi inde pendens cogere videtur, ut *Βασίλεια* persona non ad *βασιλείαν* imperii regii designationem, sed ad *βασίλειαν* reginam referatur, de quo discrimine veteres grammatici consentiunt. Corripiendam autem esse in hoc nomine proprio ultimam syllabam itaque paenultimam acuendam versus 1537 et 1755 docent, in quibus et in iambo et in dactylo eam sedem habet ut propter metrum brevis sit, id quod recentiores editores respexerunt omnes excepto Friderico Henrico Bothe, qui etiam in secunda Aristophanis editione (anno 1845 emissa) priori certe versui per neglegentiam vetus vitium reliquit. Verum ut mittamus dubitationem an illud accentus discrimen grammaticis potius quam veterum usui debeatur, quae e vss. 478 et 549 diiudicari non potest, hac in re consentaneum est poetam, qui non rem ipsam, sed personam rei imaginem finxit, secutum esse eum sermonis usum, e quo personarum nomina sive propria sive appellativa in *-εια* desinentia (*βασίλεια, πανδόκεια, ἱέρεια, γνάφεια, κεράμεια*, cf. Lobeck. proleg. p. 42) antepaenultimam acuerunt, sicut in aliis exemplis nomina propria ab eiusdem formae verbis accentu distinguuntur.

Attamen minime negandum videtur, Aristophanem in adornanda virgine divina, quam summum deorum imperium repraesentare voluit, adhibuisse colores quosdam e Palladis numine desumptos, cui proximos Iovi honores et deorum apud Athenienses cultus et poetae concedebant. Sed cum *Βασίλειαν* ipsam in deorum numero positam esse constet, non est cur hanc rem a poeta comico neglectam esse statuamus. Qua de re primarium est testimonium Diodori Siculi bibl. hist. III, 57, cuius narratio quamvis Euhemeri modo composita et exornata sit, nihilominus veterum mythorum et religionum vestigia continere videtur. Tradit autem ille Urani et Titaeae, quae etiam *Γῆς* nomine appellata sit, duas inter alias filias fuisse aetate et dignitate insignes, Basiliam et Rheam. *Τούτων δὲ τὴν μὲν Βασίλειαν, πρεσβυτάτην οὖσαν καὶ σωφροσύνῃ τε καὶ συνέσει πολὺ τῶν ἄλλων διαφέρουσαν, ἐκθρέψαι πάντας τοὺς ἀδελφοὺς κοινῇ μητρὸς εὔνοιαν παρεχομένην· διὸ καὶ μεγάλην μητέρα προσαγορευθῆναι. μετὰ δὲ τὴν τοῦ πατρὸς ἐξ ἀνθρώπων εἰς θεοὺς μετάστασιν συγχωρούντων τῶν ὄχλων καὶ τῶν ἀδελφῶν διαδέξασθαι*

τὴν βασιλείαν παρθένον οὖσαν, ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς σωφροσύνης οὐδενὶ συνοικῆσαι βουληθεῖσαν. Neque praetermittenda etsi non pari loco ponenda est Dionis Chrysostomi in oratione prima de regno (p. 15 M.) allegoria, qua *μακαρίαν δαίμονα Βασιλείαν, Διὸς βασιλέως ἔκγονον*, Iunoni similem, eximio splendore ornatam describit, cui proxime adsidere vult Iustitiam. Et in nostram rem magis cadit, quod *Θεὰ Βασίλεια* Therae colebatur, quam quod Venus, Iuno, Ceres, Gratiae, Pax et Athena ipsa (apud Tzetzem) hoc aut Basilidis nomine appellabantur. (Cf. Wieseler advers. p. 126 sq.) Iam facile adducimur ad comparandum illum Diodoreum de Basilia mythum cum Themidis specie, quae et ipsa secundum Hesiodum, quem Aeschylus fere sequitur, antiquissima est dearum, Coeli et Terrae filia nec minus Iovis uxor, quam hymni in Iovem Homerici auctor Iovi proxime adsidere dicit, atque Pindarus *Διὸς ξενίου πάρεδρον* appellat, sicut Sophocles *Δίκην ξύνεδρον Ζηνός*, in Theogonia Themidis filiam, natura et notione ei fere aequalem. Quodsi Aristophanes convenienter illius Basiliae, paene alterius Themidis, imagini suam Basiliam finxit, quam et ipse v. 1755 *πάρεδρον Διός* appellat et Pithetaero novi deorum imperii rectori in matrimonium dat, in nimiae temeritatis vituperationem nos non incurrere speramus sumentes, eum Aeschyleae Themidis memorem fuisse eiusque memores esse spectatores voluisse, quam in Prometheo soluto arctiore cum Iove vinculo coniunctam novum mundi ordinem inaugurasse nos aliorum virorum doctorum sententiae obsecuti statuimus. (Cf. Der Prometheus des Aeschylus. Marb. 1860. p. 39.) Sic in Aristophanis invento comico parodia quaedam inesset fabulae tragicae a comoediae usu minime aliena, cuius vim eo facilius percipere poterant spectatores, quo propius ipsa Promethei persona in hac fabula Aristophanea e tragoediae exemplo detorta Aeschyleae fabulae memoriam ipsis adduxerat. Qua in re si aliquatenus consentire videmur cum eis quae Aemilius Brentano (Untersuchungen über das griechische Drama. I. Frankfurt 1871. p. 159—170) de fabula Titanum tragica ab Aristophane in ridiculum argumentum conversa affert, minime tamen nostra sententia cum eis cohaeret, quae in illo libro de contaminatione dramatum Aristophaneorum ineunte Byzantino aevo facta et de Avium fabula miro quodam artificio in deterrimam formam redacta per coniecturam ponuntur.

Transimus ad aliam quaestionem cum Aristophanis Avibus cohaerentem, quae haud raro quidem tractata, neque tamen extra dubitationem posita ex testimoniis nuper repertis certe aliquid novae lucis accipere videtur. Antepirrhema parabaseos praeter alia argumenta festiva, quibus avium natura hominibus commendatur, hoc exhibet (vss. 785 sqq.):

οὐδέν ἐστ᾽ ἄμεινον οὐδ᾽ ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.
αὐτίχ᾽ ὑμῶν τῶν θεατῶν εἴ τις ἦν ὑπόπτερος,
εἶτα πεινῶν τοῖς χοροῖσι τῶν τραγῳδῶν ἤχθετο,
ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν ἐλθὼν οἴκαδε,
κᾆτ᾽ ἂν ἐμπλησθεὶς ἐφ᾽ ἡμᾶς αὖθις αὖ κατέπτετο.

Unde recte colligi solet, priore tragoedias quam comoedias eiusdem diei festi tempore in scenam datas esse, cum *ἡμᾶς* (v. 789) sine nimio artificio non possit nisi ad chorum comicum referri, oppositum tragicis choris, quorum taedio imbutus esse dicitur spectator esuriens. Praeterea fere consentaneum esset, nisi alia testimonia obstare nonnullis viderentur, hunc dramatum ordinem pertinere ad eam maxime sollemnitatem, in qua Avium fabula edita est, Dionysia Magna; nam quod non ad eam ipsam sollemnitatem, in qua dicta sunt haec verba, sed ad Lenaea hunc locum referendum esse statuit Wieseler Advers. p. 99 sqq., suo iure improbasse videtur Hermannus Sauppe (Verhandl. d. Gesellsch. d. Wiss. zu Leipzig. Phil. Cl. VII. p. 19 sq.), cum tota huius loci vis comica tali interpretatione debilitetur. Accedit quod ex ipsius Wieseleri sententia haec fabula re vera acta est post meridiem, cum ea quae Prometheo interroganti: *πηνίκ᾽ ἐστὶν ἄρα τῆς ἡμέρας;* Pithetaerus v. 1499 respondet: *ὁπηνίκα; σμικρόν τι μετὰ μεσημβρίαν* ad ipsum actionis scenicae tempus optime et quadam necessitate fere cogente referantur. Nam quod nihilominus comoedias etiam post meridiem actas tragoediis antecedere potuisse statuit, quoniam aliae sollemnium partes ad tempus antemeridianum pertineant, id a veri similitudine abhorret, nisi forte ludos scenicos ad noctem usque productos esse existimamus. — Quid igitur obstare visum est Wieselero aliisque loci Aristophanei interpretibus, quo minus eum ad Magna Dionysia traherent? Commoti sunt lege illa Evegori in Demosthenis Midiana § 10 exstante, in qua haec leguntur: *ὅταν ἡ πομπὴ ᾖ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, καὶ ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοί, καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ*

κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί. Unde post Boeckhium (vom Unterschiede der Attischen Lenäen, Anthesterien und ländlichen Dionysien in Abhandl. d. Preuss. Akad. 1817. p. 49 = kleine Schriften V, p. 101) usque ad recentia tempora plerique collegerunt, diversum ludorum scenicorum ordinem in diversis Dionysiis Atticis fuisse, et in urbanis s. Magnis comicas fabulas tragicis antecessisse. Sed postquam nostra memoria auctoritas decretorum ceterorumque litis instrumentorum, quae orationibus Atheniensium inserta exstant, increscente paullatim fiducia in dubium vocata est (qua de re cf. quae composuit I. I. Wortmann de decretis in Demosthenis Aeschinea exstantibus Atticis. Marburgi 1877. p. 1—6), haud pauci cum Westermanno nihil ponderis tribuerunt huic testimonio, quod ex eorum esse numero statuerent, quae non solum ad primariam orationum formam non essent referenda, sed ne ex actis quidem publicis, sed e grammaticorum sive rhetorum commentis originem ducerent. Quanquam nuper cautius huic rei iudicium adhiberi coeptum est, ita ut diversam singulorum documentorum esse auctoritatem concederetur, etiamsi ab ipsis oratoribus inserta non essent. Et de hac quidem Evegori lege Westermanno eisque viris doctis qui cum eo sentiunt adversarius exstitit Paulus Foucart Gallus (Revue de philologie. I. 1877. p. 168 sqq.: sur l'authenticité de la loi d'Evégoros citée dans la Midienne), qui argumentorum, quibus ille usus est, vim non satis esse validam evicisse videtur, id quod maxime cadit in ea quae de Piraeensibus Dionysiis tanquam fraudis documento dicta erant, cum horum Dionysiorum memoria inscriptionibus nuper repertis in clariore luce posita sit. Nimis a proposito abduceremur ea persequentes, quae a Foucarto ad explicandos urbanorum Dionysiorum ritus ex ipsis legis verbis, quae interpositis καὶ ὁ ἀγὼν ante καὶ οἱ κωμῳδοὶ restituenda esse censet, afferuntur. Sed in nostra quaestione summi momenti est ad legis auctoritatem fulciendam, quod tituli ad victores certaminum Dionysiacorum spectantes Athenis nuper reperti et a Koehlero restituti atque explicati (Mittheilungen des deutschen archäologischen Institutes in Athen. III. 1878. p. 104 sqq. cf. Bergk in Museo Rhen. XXXIV, p. 292 sqq.) ea ipsa confirmant quae de Dionysiis urbanis in lege Evegori traduntur. Nam ut alia inde per coniecturam desumpta incerta sint, id extra dubitationem positum est, in ludis, de quibus agitur, singula certamina hoc ordine disposita fuisse, ut pueri primum locum tenerent, tum sequerentur viri, tertio et quarto loco comoedi et tragoedi, id quod certissime apparet ex altero titulo ad Ol. 89, 2 et 3 pertinente, in quo, si cum aliis

fragmentis comparetur, *παίδων*, *ἀνδρῶν*, *κωμῳδῶν*, *τραγῳδῶν* significatio non debetur incertae restitutioni. Quo efficitur, ut apud Demosthenem probabilius a Bergkio (p. 331) verba *καὶ οἱ ἄνδρες* post *οἱ παῖδες* quam a Foucarto *καὶ ὁ ἀγὼν* post *ὁ κῶμος* inserta sint, nisi Boeckhii praeferenda est opinio, virorum certamen ad *τὸν κῶμον* pertinuisse. (Ges. kleine Schriften. V, p. 157 sq.) Magnorum autem Dionysiorum etiamsi in istis titulis mentio facta non sit, non in circulo versamur ex illa lege colligentes, ad haec sollemnia ludos in inscriptionibus commemoratos esse referendos, cum ipse ordinis consensus eo nos trahat, et ceterorum Dionysiorum splendor non tantus fuerit, quantum ipsa inscriptionum institutio et certaminum, quorum memoriam servabant, compositio indicat.

At si his testimoniis confirmari videtur, quinto ante Christum saeculo, florentibus apud Athenienses ludis scenicis, in Dionysiis Magnis comoedias ante tragoedias actas esse, quid iam iudicabimus de Aristophanis Avibus, quam fabulam et pomeridiano tempore et post tragicos choros actam esse veri simillimum visum est? Num denuo eo confugiamus, ut argumentorum ex ipsa fabula sumptorum vim proiciamus, atque dura et coacta verborum interpretatione poetam artificio sponte se offerente privemus? Hoc nobis quidem non videtur admitti posse. Sed non intellegimus, quanam ratione difficultate contorta expediamur, nisi statuamus inter eam aetatem, cuius tituli testimonia exhibent firmissima, et eum annum quo Avium fabula acta est, Ol. 91, 2, immutatum esse veterem dramatum ordinem in Dionysiis urbanis observatum, quem ex rusticanorum ludorum, in quibus etiam Piraeensia sollemnia inde ab origine sunt habenda, more retinuerant. Legem autem Evegori, quam, etiamsi in primaria Demostheneae orationis forma locum non habuerit, ex antiquioribus tamen fontibus profectam esse consentaneum est, ad veterem morem neglecta posteriore immutatione pertinuisse statuendum erit. Causam mutati ludorum ordinis non magis dispicimus quam causam ipsius diversi in diversis Dionysiis ordinis, quem Boeckhius ex institutione singulorum ludorum priore aut posteriore originem ducere suspicatur. Forsitan in Dionysiis Magnis comoedia ex antiquo more comum propter ipsam eius naturam proxime sequebatur; cum dramatum autem natura magis convenire videtur comoedia post tragoedias in scenam producta, quamobrem hic ordo a Lenaeis, quorum severiori ritui a principio tragoedia magis quam comoedia accommodata erat, postea in urbanam sollemnitatem transferri potuit. Neque temporis angustiae obstiterunt tetralogiae

horis antemeridianis editae, etiamsi maior esset sollemnium apparatus in Magnis quam in ceteris Dionysiis, siquidem crescente splendore dierum festorum numerum crevisse, atque pompam et puerorum virorumque certamina in priore quam ludos scenicos die posita esse probabiliter sumimus.

Haec ad rem obscuram illustrandam non sine haesitatione promimus, non desperantes fore ut nova testimonia novam his rebus lucem afferant. Interim ut in quavis disciplina veri similibus, quae non per temerariam coniecturam ponuntur, utendum est, ubi certa non suppetunt.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GUILIELMUS SCHEFFER, phil. et theol. Dr. huiusque P. P. O., Augustissimo Regi in senatu ecclesiastico a consiliis supremis, dioeceseos Marburgensis reformatae superintendens, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice* exercitationes seminarii theologici practici *homileticas* et *catecheticas* die Sat. h. XI more sueto moderabitur; 2) *privatim priorem theologiae practicae systematis partem (introductionem eiusdem generalem, doctrinam de missione, catecheticam et theologiam pastoralem)* quinis per hebd. scholis h. XI docebit.

ERNESTUS RANKE, phil. et theol. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* a) *Ioelis prophetae vaticinia* exponet die Sat. h. X, b) *historiam canonis Novi Test.* enarrabit die Sat. h. XII; 2) *privatim evangelia quae synoptica dicuntur* interpretabitur quinis scholis h. X.

FRANCISCUS EDUARDUS CHRISTOPHORUS DIETRICH, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* exercitationes seminarii theologici *ad Vet. Test. spectantes* die Lunae h. VI—VIII moderabitur; 2) *privatim librum Geneseos* quaternis scholis h. VIII explicabit.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis theol. h. a. decanus, 1) *publice* a) exercitationes seminarii theologici *ad Novum Test. spectantes* moderabitur die Iovis h. VI—VIII, b) *secundam ad Corinthios epistolam* interpretabitur bis per hebd. h. X; 2) *privatim* a) *epistolam ad Galatas* explicabit die Lunae et Iovis h. X, b) *Novi Testamenti theologiam biblicam* exponet quater per hebd. h. XI.

THEODORUS BRIEGER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice exercitationes historicas* in seminario theologico moderari perget die Ven. h. VI—VIII; 2) *privatim* a) *historiae ecclesiasticae partem primam* enarrabit sexies per hebd. h. VII, b) *historiam dogmatum* tradet quinquies per hebd. h. VIII.

GUILIELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice exercitationes dogmaticas* seminarii theologici moderari perget die Mart. h. VI—VIII; 2) *privatim* a) *theologiae dogmaticae partem priorem* tractabit quinquies p. hebd. h. IX, b) *theologiam symbolicam* quinquies p. hebd. h. XII.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

GEORGIUS EDMUNDUS CONRADUS KESSLER, philos. Dr. theol. Licent., 1) *gratis de gentium ethnicarum exspectationibus messianicis atque de Iudaeorum theologia apocalyptica* die Sat. h. XI disseret; 2) *privatim antiquitates Hebraeorum et sacras et profanas* quater p. h. h. VII mat. enarrabit.

CAROLUS HENRICUS CORNILL, phil. Dr. theol. Lic., seminarii Philippini repetens, *privatim Iobi librum* interpretabitur quinquies per hebd. horis postea definiendis.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS GUILIELMUS ROESTELL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice speculum saxonicum* interpretabitur die Sat. h. XI; 2) *privatim* docebit *ius ecclesiasticum* quinquies h. X.

GUILIELMUS ARNOLD, I. U. et Oec. Publ. Dr., Iur. P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et Philippi magnan. Hassiaci I. cl. eques, ordinis iurecons. h. a. decanus, leget 1) *publice ius publicum universale* semel per hebd. diebus Saturni h. XI; 2) *privatim a) historiam imperii et iuris germanici* quater per hebd. diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. XII, *b) ius gentium hodiernum* bis p. hebd. diebus Mercurii et Saturni h. XII.

CAROLUS FUCHS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Augustissimo Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice practicum criminale* semel h. X instituet; 2) *privatim a) processum civilem imperii germanici* sexies h. VIII, *b) ius criminale imperii germanici* quinis scholis h. X profitebitur.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice Institutiones Iustiniani imp.* audituris interpretandas proponet die Sat. h. XI; 2) *privatim a) institutiones iuris rom.* quinquies h. XI, *b) historiam processus civilis apud Romanos* die Mercurii h. V et VI docebit; 3) *privatissime a)* in seminario iuridico *examinatorium de iure pandectarum* cum *exercitationibus exegeticis* hora audituris commoda quat. p. hebd., et *b) examinatorium de historia iuris privati apud Romanos* binis scholis audituris commodis ex proprio schemate instituet.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de iure dominii et possessionis* die Mercurii h. IX et X disseret; 2) *privatim a) historiam iuris romani* quinquies p. hebd. h. XII, *b) doctrinam pandectarum* quater p. hebd. h. IX et X docebit.

IUSTUS BERNHARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice historiam conatuum consequendae unitatis imperii germanici inde ab anno 1815* semel h. V narrabit; 2) *privatim* docebit *a) ius germanicum privatum cum iure feudali* quinquies h. X, *b) ius mercatorium et cambiale* quinquies h. XI.

2. PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr. et P. P. E., docebit 1) *publice ius cambiale* die Merc. h. IX; 2) *privatim a) ius ecclesiasticum* quat. scholis h. IX, *b) ius mercatorium* et *maritimum* quinis scholis h. X.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. IV—VI instituet.

BERNHARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. III—V instituet.

GUSTAVUS PESCATORE, I. U. Dr., 1) *gratis de iuribus in re aliena* bis h. XI disseret; 2) *privatim a) ius romanum hereditarium* quater h. XI docebit, *b) processum civilem* sexies h. VIII profitebitur.

ADOLPHUS FRANTZ, I. U. Dr., *privatim a) ius criminale imperii germanici* quinquies per hebd. h. X, *b) processum criminalem imperii germanici* quater per hebd. h. IX docebit.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS FRIDERICUS DE HEUSINGER, med. et phil. Dr., med. P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordin. coron. Boruss. II. cl., elect. Guil. aliorumque eques, docebit 1) *publice evolutionem scientiae medicae in Germania* die Sat. h. II; 2) *privatim historiam medicinae litterariam* h. I.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice de corporis humani functionibus* semel h. VI p. m. cum auditoribus sermonem habebit; 2) *privatim physiologiam generalem* binis scholis h. VI p. m. docebit.

GUILIELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim chirurgiam generalem* docebit quater h. VII; 3) *privatissime a) clinicen chirurgicam* diriget h. VIII—X, *b) cursum operationum* instituet h. V.

RUDOLPHUS DOHRN, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et xenodochii obstetricii director, ord. aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice examinatorium de arte obstetricia* offert semel habendum; 2) *privatissime a) clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd., *b) operationes obstetricias* demonstrabit horis posthac definiendis.

NATHANAEL LIEBERKUEHN, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice examinatorium de rebus anatomicis* offert semel per hebd. habendum; 2) *privatim anatomiam topographicam* die Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. x tradet; 3) *privatissime exercitationes microscopicas* una cum G. R. Wagenero, prof. extraord., et A. Gassero die Lunae, Mercurii, Iovis h. xi—i moderabitur.

FRIDERICUS GUILIELMUS BENEKE, med. Dr. et P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquil. rubr. reg. Boruss. eques, aliisque ordinibus adscriptus, 1) *publice* tradet *aberrationes nutritionis, imprimis respiciens urologiam pathologicam* bis per hebd.; 2) *privatim* docebit *anatomiae pathologicae primam partem, nec non pathogenesin* scholis quinis h. ix et dim.; 3) *privatissime* docebit *artem obductionis cadaverum* atque diriget *exercitationes dissecandorum cadaverum* una cum Dr. Schottelio.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, medicorum ordinis h. a. decanus, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. vi—vii et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen et policlinicen medicam* h. x et dimid. — xii moderabitur.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis coronae Boruss. IV. cl. cum gladiis eques, academiae h. t. rector, 1) *publice de arte ophthalmoscopii* disseret die Veneris h. iv; 2) *privatim cursum operationum ophthalm.* instituet bis h. iv; 3) *privatissime a) clinicen ophthalmiatricam* moderabitur die Martis et Iovis h. xii—i, die Saturni h. x et dimid. — xii, *operationes* horis posthac definiendis, *b) cursum ophthalmoscopiae* instituet bis h. iv.

RUDOLPHUS BOEHM, med. Dr, pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacol. director, ordinum Russic. Annae et Stanislai II. cl. eques, 1) *publice diaeteticen* singulis scholis; 2) *privatim materiam medicam* quinis scholis tradet; 3) *privatissime exercitationes in laboratorio pharmacologico* moderabitur.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, 1) *publice psychiatriam* tradet *propaedeuticam* semel p. h.; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. h. binis horis.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, 1) *publice* offert *examinatorium de rebus physiologicis* semel per hebd.; 2) *privatim a) physiologiae experimentalis alteram partem* quinquies docebit, *b) chemiam physiologicam* quater tractabit; 3) *privatissime exercitationes physiologicas* ter per hebd. diriget.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice syndesmologiam* die Veneris h. xi tradet; 2) *privatim osteologiam* diebus Lunae, Martis, Iovis docebit h. xi.

HENRICUS HORSTMANN, med. Dr. et P. P. E., Augustissimo Principi a sanitatis publicae tuendae consiliis, physicus Marburgensis, ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de epizootiis* et *zoonosis* semel disseret; 2) *privatim a) hygienem publicam* h. ii quaternis scholis per hebd., *b) medicinam forensem illis, qui iurisprudentiae operam dant,* ternis scholis per hebd. tradet.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., cruce ferrea decoratus, 1) *publice repetitorium rerum obstetriciarum* singulis scholis instituet; 2) *privatim de morbis mulierum* trinis scholis disseret.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet; 2) *privatim operationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., *privatim* disseret *de morbis cutaneis* ternis scholis h. VII mat.

AEMILIUS GASSER, med. Dr., *privatim histologiam* quater per hebd. docebit.

MAXIMILIANUS SCHOTTELIUS, med. Dr., 1) *gratis anatomiam pathologicam apparatus nervorum* semel per hebd. docebit; 2) *privatim cursum histologiae pathologicae* et *dissecandorum cadaverum* quaternis scholis per hebd. instituet; *exercitationes dissecandorum cadaverum* diriget una cum Beneke, med. Dr. et P. P. O. etc.; 3) *privatissime* sed *gratis* moderabitur *perscrutationes pathologico-anatomicas* eorum, qui profundius in studia pathologica intrare velint.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de integralibus definitis* disseret dieb. Merc. h. III—V; 2) *privatim* a) *mechanices theoreticae partem priorem* quinquies h. IX docebit, b) *solitas auditorum exercitationes circa problemata ab ipsis solvenda* moderabitur dieb. Sat. h. IX—XI.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. et phil. Dr. et chemiae pharm. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice examinatorium de chemia et pharmacia* instituet; 2) *privatim chemiae experimentalis partem primam* sexies h. IX docebit; 3) *privatissime exercitationes chemicas* more solito diriget.

GUILIELMUS DUNKER, philos. Dr., mineralogiae et geologiae P. P. O., instituti mineral. academ. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum metallicarum consiliis, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl., Philippi magnanimi Hassiaci et Petri Friderici Ludovici Oldenburgensis I. cl. eques, 1) *publice de rebus palaeontologicis* disseret die Sat. h. X; 2) *privatim geologiam* docebit quater per hebd. h. X.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice introductionem in studium scientiarum politicarum* tradet semel per hebd. die Merc. h. VIII; 2) *privatim oeconomiam politicam* docebit quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

ERNESTUS ADOLPHUS HERRMANN, philos. Dr. et hist. P. P. O., ord. aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes historicas* moderabitur semel p. h.; 2) *privatim historiam medii aevi* enarrabit quater h. X.

ALBERTUS WIGAND, philos. Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti pharmacognostici director, 1) *publice* *a*) *de individualismo in rebus naturae* disseret h. IV die Merc. decem scholis, *b*) *excursiones botanicas in agro Marburgensi et demonstrationes in horto* instituet die Sat.; 2) *privatim* *a*) *botanicen generalem* docebit sexies h. II, *b*) *botanicen systematicam* tradet et *plantas medicinales* explicabit sexies h. VII; 3) *privatissime* *a*) *exercitationes analytico-botanicas* moderabitur bis p. h. h. III—V, *b*) *exercitationes microscopicas* instituet bis per hebd. h. XI—I.

CAROLUS IULIUS CAESAR, philos. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologici director, bibliothecae academicae praefectus, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, ordinis philos. h. a. decanus, 1) *publice* *a*) seminarii philologici sodalibus *Taciti de vita Agricolae librum* interpretandum proponet ceterasque exercitationes solito more moderabitur binis scholis h. X, *b*) *Aeschyli Agamemnonem* interpretabitur ternis scholis h. IX; 2) *privatim* *historiae literarum romanarum partem alteram* tradet ternis scholis h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologici director, 1) *publice* seminarii philologici sodalibus *Babrii fabulas* interpretandas proponet ceterasque exercitationes moderabitur binis scholis h. X; 2) *privatim* *grammaticae graecae partem priorem* tradet quinis scholis h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, 1) *publice* docebit *theoriam instrumenti transitus cum exercitationibus practicis* die Merc. h. XI—I; 2) *privatim* leget *physices experimentalis partem primam ad phaenomena mechanicae, fluctuationis atque lucis spectantem* h. VIII quinquies; 3) *privatissime* reget *exercitationes physicas practicas* die Lun. et Iov. h. II—V.

CAROLUS DIETZEL, philos. Dr. et polit. scient. P. P. O., 1) *publice* *de socialismo* et *de quaestione operaria* semel per hebd. disseret; 2) *privatim* *oeconomiam publicam* docebit quater per hebd.

CAROLUS LUCAE, philos. Dr., theodiscarum et linguarum et litterarum P. P. O., seminarii germanici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* seminarii germanici *exercitationes* moderabitur d. Merc. et Sat. h. VIII; 2) *privatim* *Wolframi Eschenbacensis carmen cui Parcival inscriptum est* interpretabitur quater per hebd. h. VIII.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparativae P. P. O., 1) *publice* *a*) *selecta linguae sanscritae monumenta cl. Benfeyi chrestomathiam secuturus* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. VIII, *b*) *encyclopaediam grammatices comparativae* tradet d. Merc. h. VIII; 2) *privatim* *phonologiam linguarum indogermanicarum* docebit quinquies h. IX; 3) *privatissime* *linguam bactricam* docebit d. Mart. et Ven. h. VIII.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice* *exercitationes philosophicas* bis per hebd. moderabitur; 2) *privatim* *logicen* ter per hebd. h. IV docebit.

RICARDUS GREEFF, med. et philos. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, 1) *publice* *exercitationes in determinandis animalibus* diriget semel d. Ven. h. IV; 2) *privatim* *zoologiam et anatomiam comparatam animalium invertebratorum* docebit quinquies dd. Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. III; 3) *privatissime* *exercitationes zoologicas et microscopicas* ternis scholis diriget dd. Lun. Mart. Iov. h. IV.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et literarum recent. P. P. O., seminarii romanico-anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii romanico-anglici* moderabitur quater per hebd. h. XII; 2) *privatim a) historiam linguarum romanicarum* tradet quaternis per hebd. scholis h. XI, *b) exercitationes palaeographicas* moderabitur binis per hebd. scholis h. XI.

CONRADUS VARRENTRAPP, phil. Dr. et historiae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice* seminarii historici *exercitationes* moderabitur semel p. h. h. VI; 2) *privatim de historiae medii aevi fontibus* disseret quater h. IV.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice selecta chemiae organicae et theoreticae capita* tractabit semel; 2) *privatim chemiae experimentalis partem secundam i. e. chemiam anorganicam* tradet sexies h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur quotidie ab h. VIII.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur binis horis p. hebd. (*loci Platonici, quibus de ideis agitur,* interpretandi proponuntur); 2) *privatim historiam philosophiae antiquae* tradet quater p. hebd. h. V.

IOANNES IUSTUS REIN, philos. Dr., geographiae P. P. O., ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et leonis Zaring. Bad. II. cl. eques, 1) *publice exercitationes geographicas* semel per hebd. h. II—IV moderabitur; 2) *privatim geographiam terrarum quae mare mediterraneum cingunt,* docebit quinquies per hebd. h. VII.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* disseret *de sectionibus conicis* bis p. h. h. VII; 2) *privatim* leget *a) institutiones calculi differentialis* quinis scholis h. X, *b) geometriam syntheticam* trinis scholis h. VII.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice introductionem in functionum analyticarum theoriam* tradet die Mercurii h. XI—I; 2) *privatim a) priorem geometriae analyticae partem, praecipue sectionum conicarum theoriam* tractabit quaternis scholis h. XI, *b) calculum variationum* docebit ter per hebd. h. XII; 3) *privatissime* sed *gratis exercitationes analytico-geometricas* instituet die Sat. h. XI.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice a) exercitationes archaeologicas* moderabitur d. Sat. h. XII, *b) artis plasticae antiquae opera gypso expressa* explicabit die Mercurii h. III; 2) *privatim deorum heroumque graecorum imagines* demonstrabit ter h. XII.

GUILIELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., bibl. acad. custos, 1) *publice capillaritatis doctrinam* tractabit semel p. h. h. VIII; 2) *privatim a) aequationum differentialium integrationem* docebit quinis scholis h. VIII, *b) selecta capita physices quae dicitur molecularis* tradet bis per hebd.; 3) *privatissime* sed *gratis colloquium physicum* instituet horis definiendis.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS MOESTA, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes mineralogicas practicas* bis p. h. moderabitur; 2) *privatim a) mineralogiam* docebit quater p. hebd. h. XII, *b) disquisitiones microscopicas mineralium lapidumque* bis, *c) geologiam et physicam et chemicam* bis docebit.



CONRADUS KESSLER, phil. Dr. theol. Licent., praeter scholas theologicas, 1) *gratis de mysteriorum apud Graecos Romanosque natura atque originibus* die Merc. h. XI disseret; 2) *privatim linguam arabicam* docere perget *Tabarii annales* interpretaturus bis per h.; 3) *privatissime linguae aethiopicae* institutiones bis per hebd. tradet.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., 1) *gratis a) chemiam toxicologicam* semel tradet, *b) historiam chemiae (p. II.)* semel enarrabit; 2) *privatim chemiam analyticam* quater docebit.

MAXIMILIANUS LENZ, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes historicas* moderabitur semel p. h.; 2) *privatim historiam saeculi decimi octavi* enarrabit quater p. h. h. VIII.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., 1) *gratis* in proseminario philologo *Platonis Protagorae* interpretationem moderabitur, *exercitationes* reliquas adiunget bis p. h. die Merc. h. X et XI; 2) *privatim Militem Gloriosum Plautinam* enarrabit, *historiam litterarum latinarum antiquissimarum* praemittet ter p. h. h. VII mat.; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes epigraphicas latinas* moderabitur semel per hebd.

MAXIMILIANUS KOCH, phil. Dr., 1) *gratis Iohannis Miltonis vitam et opera* enerrabit singulis p. h. scholis; 2) *privatim historiam litterarum theodiscarum ab Opitio usque ad Gottschedium* tradet binis p. h. scholis; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes litterarias* moderabitur singulis p. h. scholis.

Doctrinam harmonicam OTTO FREIBERG, concentuum musicorum director, semel gratis tradet, idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert. Delineandi et pingendi artem FR. SCHUERMANN docebit, atque doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet. Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.